



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 3. Præscribenda adversùs iram, proximi odium &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

lestiae, injungi poterunt, ut in salutis remedium
acceptentur.

2. Præscribendum erit, ut occasiones, & me-
dia ad libidinem (qualia esse possunt, cum per-
sonis quibusdam alterius sexus habitare, con-
versari, oculos in eas defigere, de illis frequen-
tiis cogitare, obscenas statuas, ac imagines
contemplari, libros impudicos, amatorios, de
mulierum qualitatibus, ac affectibus tractantes,
legere, otiani, diutiis, quam justa necessitas
exigit, lecto inhærere) præscribendum inquam
erit, ut tempore dilatae Absolutionis non solùm
ab ipsis cesseret, verum, ut, servatis servandis,
Pœnitens interea adhibeat ea, quæ similibus oc-
casionibus & mediis contrariantur: V. G. ut pro
conversatione cum impudicis ejusdem sexus, sit
conversatio cum hominibus pietati & castitati
deditis; ut pro frequentatione loci minùs ho-
nesti & casti, sit frequentatio templorum, &c.
& maximè injungenda sobrietas in cibo & potu,
& abstinentia à certis cibis & potibus libidinem
magis irritantibus: specialiter quoque injungen-
da, quæ acediae opponuntur: nam ut plerisque
libidinem causat intemperantia, ita non paucis
acedia.

§. 3. Præscribenda adversus Iram, proxi- mi Odium, &c.

Ira & odio directissimè contrariatur bene-
facere (maximè in eadem materia) eidem illi
personæ, adversus quam habiti fuerunt dicti

V 3 af-

affectus mali. Hoc proinde, ut tempore dilatè
Absolutionis fiat, injungendum

1. Vel, si non possit in eadem materia, bo-
num erga illam personam operetur in aliis ma-
teriis: item, si non possit erga eamdem perso-
nam, agat erga conjunctas, vel, si non possit
erga præsentem, operetur bona erga absen-
tem, vel potius, ut omnia illi præstet, si
potest. Et hæc quidem secundùm oppositionem
contrariam, sub quibus comprehendo etiam
petitionem veniæ, & alias similes offensæ re-
parationes.

2. Præscribenda, quæ diminuunt, aut tollunt
dictorum affectuum radicem, quæ in quibusdam
est avaritia, in aliis superbia, in nonnullis re-
rum parvarum nimia æstimatio, aut amor com-
moditatis: quibus omnibus per contrariantia
media occurendum, prout etiam externis dicto-
rum affectuum occasionibus, ut sunt conversari
cum iracundis, cum litigiosis, cum habentibus
modum agendi irritantem, vel cum aliis per-
sonis, quæ gloriam in vindicta constituunt: &
pati ratione cavenda lectorio librorum, & specta-
cula Comœdiarum, quibus ejusmodi affectus
lectoribus aut spectatoribus imprimuntur.

3. Non credo, utiliter suaderi semper, ut
conversatio cum persona, à qua quispiam of-
fensus fuerit, deseratur: contingit sæpius, ut
hoc modo ira & odium non tollantur, inò
verò foyeantur.